Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1245

Quelle:
Copyright:

dam fuerunt queſita de deo et quedam de criſto &c. Subnexus eſt *Index*, qui omnium trium Quaeſtiones exhibet. Sodalis hic *Franciscanus Anglus de Middleton* Sec. XIII. Academias *Oxonienſem* et *Pariſinam* multum illuſtravit, ut tradunt *Waddingus*, *Fabricius*, *Tannerus*, alii, qui ejus Scripta recenſent. Inter haec *Quodlibeta* noſtra lucem videre *Venetiis* prelo *Laz. Soardi* 1509. f. quibuſcum collatum exemplar noſtrum integrum eſt; non enim *Quodlibeta* LXXX. ſunt, ut habet *Fabricius*, qui *Quaeſtiones* dicere debebat, nam re ipſa *Quodlibeta* tria in 80. *Quaeſtiones* abeunt. Illud addo: in edit. *Veneta* pro *de criſto* ut ſupra, legi *de Creaturis*. Neutrum male; nam et de Chriſto et de Creaturis in I. *Quodlibeto* agitur.

III. *fol.* 213. Anonymi diſputatio: *Vtrum futura ſint realiter preſentia eternitati.*

CCCXIX.

310 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 119. f. per duas columnas ſat eleganter ſcriptus et coloribus diſtinctus hoc titulo miniato gaudet: *Incipit compendium legis chriſti. et canonis ſacri ſuper quartum ſententiarum editum a Magiſtro Johanne de Bachone ordinis fratrum beate Marie de monte Carmeli. In quo pertractantur queſtiones Theologice defendentes per uetus et nouum teſtamentum fidem chriſtianam. et canonice. tam veteris quam noui iuris pertinentes ad conſcientiam. Et ut per omnia fides et mores caritatis proferantur. proteſtor me tenere quidquid ſacroſancta Romana eccleſia credit. tenet. docet et predicat. et quecunque hic dicam. vel usque ad extremum vite exitum. vel alibi dixerim ſub quacunque forma verborum. correctioni et iudicio ſacroſancte romane eccleſie ſuppono. et ſi quod abſit aliqua ex hijs. non conuenirent fidei catholice aut bonis moribus illa omnia et ſingula reprobo et reuoco hic expreſſe.* Opus totum diviſum eſt in *Quaeſtiones*, quarum *prima* ſic inchoat: *Circa prologum quarti ſententiarum quero iſtam queſtionem. Utrum ex ſcripturis veteris teſtamenti et ſenſibus earundem ſcripturarum certum ſit chriſtum iam veniſſe* &c. Ad calcem ſubtexitur geminus Index *Quaeſtionum*, et *Rerum*, et hic quidem ex ordine Alphabeti. Priori ſubſcriptum eſt: *Explicit tabula queſtionum ſuper quartum ſcripti de lege chriſti euangelica et de lege eccleſie canonica Fratris Johannis Bacon ordinis beate Marie de Monte Carmeli. doctoris in Theologia.* Unde noto, *Trithemium* non ita erraſſe Autorem *Baconem* adpellando, ut vult *Tannerus* in *Bibl. Brit. Hib. p.* 59. qui eum *Baconthorpium* a pago patrio *Norfolciae* dicendum contendit. Annum ejus emortualem ſtatuit idem *Londini* 1346. poſtquam in Academia *Pariſina* titulo *Doctoris Reſoluti* claruiſſet, et Ordini ſuo in *Anglia* praefuiſſet.